

Im. 17.

5  
RVDOLPH. AVGVST. BEHRENS  
MED. DOCT. SOCIET. LEOPOLDINO-  
CAROLINAE NATVRAE CVRIOS. COLLEGAE  
ET PHYS. BRVNSV.

AD  
VIRVM PRAENOBILISSIMVM EXCELLENTISSIMVM  
ATQVE EXPERIENTISSIMVM

CONR. BARTHOLDVM  
BEHRENS

PHILOS. ET MED. D. AVGVSTISSIMI MAGNAE  
BRITANNIAE REGIS ARCHIATRVM CELEBERRIMVM, IL-  
LVSTRIS SOCIETATIS LEOPOLDINO-CAROLINAE NATVRAE  
CVRIOS. ET REGIAE SCIENTIARVM BEROLINENSIS COLLE-  
GAM MERITISSIMVM, ET PRACTICVM HILDESI-  
ENSEM FAMIGERATISSIMVM

GRATIARVM ACTORIA EPISTOLA

QVA

TRIGAM

CASVVM MEMORABILIVM  
HISTORICO MEDICORVM  
SIMVL EXPONIT.

---

*Wolfenbüttele*

APVD JO. CHRIST. MEISNERVM  
M D C C X V I I.

AD  
VIRVM PERVENIENSVM IN EXCELLENTISSIMVM  
KONIGS UNIVERSITATVM  
ET HIC TRINITY  
CAROLINE NATVRE COLLEGI  
MED DOCT SOCIET LEOPOLDINA  
RVDOLPH AVGVST BERBERNS

CONR. BARTHOLOMAY  
BERBERNS

PHOS ET MED P  
VITVM MAGNAE  
DE INIUS KILM AN  
OF THE NATVRE  
ETVM  
CIVILE TANGIT  
DAM NATVRE  
GRATIA AN  
LISOLA

FRIGAM  
CASVM MEMORABILVM  
HISTORICO MEMORVM  
SINIV EXORT

MDCCCLII  
APVD JO. GRIFF. MEISNERVM  
NOVEMB



VIR PRAENOBILISSIME, EXCELLENTISSIME,  
EXPERIENTISSIME ATQVE DOCTISSIME

FAVOR ATQVE AGNATE

OMNI OBSERVANTIA COLENDE,

**V**Enit saepenumero in mentem mihi de  
bonis literis juxta ac de illa arte, quam  
profiteor, inter otia cogitanti, quod  
in historico studio omnis generis antiqua mo-  
numenta, qualia sunt ex antiquissimis nummi  
atque inscriptiones, ex paulo recentioribus au-  
tem diplomata, privilegia, donationes, con-  
ventiones, literæ investituræ, catalogi & ne-  
crologia, eandem præsent utilitatem quam  
quidem in medica arte observationes a celeberrimis  
viris literis consignatæ: quæ certe utilitas  
tanta est in utroque studio, arduo satis & per  
se multis dubiis atque difficultatibus obsepto,  
ut multis in rebus nulla alia ratione ad verita-  
tem detegendam possimus pervenire, nisi hæc

adminicula habeamus in promptu, Equidem sola temporum injuria hominumque supina negligentia videmur fuisse alligati ad adeo scrupulosam ejusmodi auxiliorum in utroque studio inquisitionem. Nisi enim injuria temporum tot luculenta historicorum periissent volumina, & si majori fide atque diligentia mediæ ævi scriptores res gestas literis prodidissent, quid opus foret, antiquarum chartarum ( ut de nummis atque inscriptionibus nil dicam ) adeo solerti inquisitione atque perlustratione. Et nisi ex altera quoque parte medici a nunquam satis laudanda *Hippocratis* observandi diligentia fecissent secessionem, & magis in speculationibus atque excogitatorum systematum concinnitate sibi placuissent, verum potius memoratum observandi studium usque ad nostra tempora æquali diligentia continuassent, non certe amplius opus foret, ut viri docti, & quibus res medica cordi est, de cumulandis observationibus adeo essent solliciti; sed potius ut *Pittcarnii* (a) atque *Baglivii* (b) utar comparatione, ii uterentur Astronomorum nunc forte, quibus

(a) In oratione inaugural. de medicina ab omni Philosophorum secta libera.

(b) prax. med. lib. I. cap. XII. §. 7.

quibus per observationes longa temporum serie, locorumque intercapedine factas, de motu siderum, primo aspectu non minus abstracto atque intricato, ad miraculum nunc constat. Verum enim vero, quo magis ii, qui ex utraque parte hoc commiserunt, in semet ipsos atque in posteritatem fuerunt injurii, eo certe majorem iis debemus laudem, qui ex antiquis monumentis historiam illustrent atque confirmant, & diligenti rerum in hominum morbis contingentium observatione atque annotatione, rem medicam augent, quod si ab una eademque proficiscitur persona, tanto magis admiratione digna res est. Sola autem hæc Germaniæ imo specialis patriæ nostræ videtur fuisse felicitas, quod de talibus viris sese jactari possit, utpote quæ in sinu suo fovit *Conringios*, *Meibomios* atque *Kotzbuios*, (a) de quibus anceps semper erit judicium, utrum rem magis historicam quam medicam præmemorata ratione in doctissimis suis scriptis illustraverint, & ex quo præcise

A 3

---

(a) Christianum Ludovicum Kotzbuen Aulæ Hannoveranæ quondam celeberrimum Archiatrum intelligo, de cujus in historiam patriæ meritis vid. Præfatio D.D. Leyseri ad Historiam Comitum Ebersteinensium a se editam.

præcise studio maiorem nominis gloriam sunt consecuti. Si vero celeberrimi isti viri magnam & nunquam interituram nominis sui famam hac ratione sunt adepti, profecto *Tu metipse Honoratissime Domine Agnate*, non minorem ex copulatis iisdem laboribus es consecutus, etenim loquuntur de Tuo in rem historicam insigni studio doctissima monumentorum antiquorum fide conscripta historica opera, partim edita, partim aliquando, si Deus voluerit, non sine magna historiæ illustratione edenda. (a) Testantur porro de Tuo in rem medicam affectu

- 
- (a) Conf. Act. Erud. MDCLXXXV. mens. Oct. pag. 464. it. Novell. literar. Anno M.D.CC.XIX. pars II, pag. 775. it. Annal. Acad. Jul. Sem. III. pag. 146. quo tamen scriptorum catalogo addendæ erunt *Vindicia Bienenburgenses & Irminsula* in act. erud. germ. Part. LXXVIII. Art. VI. pag. 435. editæ. Relatio de *Historia Brunsviga-Estensi* nova methodo in gratiam Regiæ suæ celsitudinis Ducis Friderici Ludovici elaborata ac Clm. & gratiosissime excepta, quæ ibid. Part. XCV. Art. VI. pag. 827. commemorata prostat. *Animadversiones in Historiam Genealogicam Principum superioris Saxonie* in forma epistolæ anno MDCC. germanicæ in 4to editæ, nec non *Defensio preliminaris harum Animadversionum* ante paucos menses in publi-



affectu doctissima scripta medica utilissimis observationibus referta (a) neque minus præstitum *Illustri Imperatoriae Naturæ Curiosorum & Regiæ Berolinensi Societati* a multis retro annis observandi studium. Et hæc Tua in historiam æque ac Medicinam maxima merita, non quædam ex arctissima cognatione nata ambitio, aut studium adulandi, verum potius pietas & benefactorum memoria his paucis & rem minime exhaurientibus commemorare jubet.

Nam ab utroque Tuo studio historico pariter atque medico me omni tempore mirum in modum a Te fuisse exornatum grata mente recordor. His autem beneficiis ingens haud ita pridem cumulus accessit, postquam Tua magis commendatione quam ullis meis meritis albo *Illustris Imperatoriae Leopoldino Carolina Naturæ Curiosorum Societatis*, quorum in commentariis jam ante (b) *Avi* (c) atque Pa-

rentis

---

publicam lucem emissa. *Vindicia notarum in Historiam Comitum Ebersteinensium* seorsim, sub titulo Reiteratæ Responſionis & Remonstrations germanicæ editæ. *Genealogia Dominorum de Grone* pariter hoc anno germanice forma majori edita.

(a) Vid. Annal. Acad. Juliæ l. a.

(b) Dec. I. Ann. III. Obs. CX.IIX. ab *Alardo Hermannio Cummio*.

(c) Dec. III. Ann. III. Obs. CX.III. ab ipso Dn. Agnato.

ventis perquam amice facta erat mentio, nomen meum fuit adscriptum. Et quanquam iste honos mihi multis aliis nominibus gratissimus sit atque acceptissimus, tamen huic accessit magnum apud me pretium, ex eo quod idem *Eudoxi* nomen mihi fuerit impositum, quo titulo *Tu Honoratissime Domine Agnate*, inde ab anno MDCXCIII. in hoc celeberrimo collegio inclaruisti. Neque vero in viribus meis erit positum aliam Tibi pro tanto in me favore exhibere gratiam, quam si omnes intendam nervos, ut pro tenuioris ingenii modulo dignum me Tua commendatione omni tempore exhibeam. Simul tamen offero Tibi hac epistola levem casuum aliquot memorabilium remunerationem, non equidem ex propria experientia desumptam, verum ex schedis paternis atque avitis petitam, quæque simul alicujus historicæ pariter atque medicæ poterit esse utilitatis. Nam primo docebunt hæ observationes, qua præcise ratione nonnulli ex Guelphica domo Heroes diem obierunt supremum, deinde etiam nonnullas medicas veritates insigniter confirmabunt. Prævit me hoc in passu exemplo medicus quondam nostras famigeratissimus *Adamus Luchtenius* descripta historia morbi

morbi fatalis atque exenterationis CHRISTIANI, Ducis Brunsvicensis & Lüneburgensis, in actis Hassnienfibus (a) postmodum edita, quæque tantam suo tempore promeruit attentionem, ut *Caraffa* (b) etiam memorabilium in corpore hujus Principis inventarum meminerit his verbis : *Eviscerato corpore præter corrupta intestina vermis inventus fuit in corpore vivus aliquot ulnarum, qui in illo anno non ex una causa prognatus, vitam herois vix XXIX. annum attingentis præmature absumfit.* Primus vero, de quo exordiar sermonem, erit Serenissimus p. m. Dux, FRIDERICVS VLRICVS, quem, fracto femore a fatali interspatium in hortis Ducalibus lapsu, post aliquot hebdomadam decubitus vitam cum morte commutasse historici commemorant. Nemo vero, quod sciam, vel locum vel conditionem illius fracturæ indicavit aut indicare potuit, quam nunc ad exemplum tabulæ manu

Observ.  
I. Fractura femoris Sereniss. Frederici Ulrici.


B

Proavi

(a) Vol. II. Obs. XIII. pag. 25.

(b) German. sacr. pag. 238. citante Doctissimo Domino GEBHARDI in Diss. de *de Factis Heroicis Ducum Brunsvicensium.*

Proavi mei, D. Joannis Behrens, in aula Celenſi medici, notatæ, hic exhibeo:



Ioh. Georg. Schmidt. sculpsit.

(a) Os

❁ ( II ) ❁

- (a) Os femoris finistrum ab anteriore parte.
- (b) Os femoris finistrum a parte postica.
- (c) Tubercula ossis.
- (d) Patella.
- (e) Fractura, qua in longum diffiluerunt tubercula.
- (f) Cavitas Patellæ ex abruptione fragmentorum ab illusione ibi incipiens.
- (g) Fractura transversalis supra articulum.
- (h) Os secundum longitudinem diffissum & una oblique abruptum ab interiori parte.
- (i k) Duo fragmenta a postica parte, eodem modo diffissa & abrupta.

Apparet autem ex isto schemate, gravissimam æque ac periculosissimam hanc femoris fuisse fracturam, qualis vix unquam erit inspecta, nisi quod *f. B. Petermannus* in observationibus

(a) fracturæ femoris fecerit mentionem, quæ parum a nostra diversa fuisse videtur. Mireris autem, a lapsu tali, qualis inter spatandum contingere potuit, adeo fonticam & multiplicem ossium fracturam factam fuisse; cujus tamen rei causam, si in peculiarem ossium fra-

---

(a) Observ. ult. Dec. II. (c)



gilitatem rejiciam, tanto minus a vero me aberrare arbitror, quoniam hoc indicantem habeo celeberrimum *Ruyschium*, de admiranda nonnunquam ossium fragilitate ita sentientem: (a) *Multa inducunt me, ut crediderim, esse quandoque talem in membranis, tendinibus, imo & in ipsis ossibus conditionem, unde facilius quam naturaliter suis naturalibus locis exire, aliorum cedere, quin & rumpi possint. Quae quidem mala haud accidissent tam facile, si abfuisset agra haec diathesis. Sane simile quid cernimus in herniis, quae natas admiramur levissimis aliquando ex causis, quum iidem homines alio quidem tempore impune sustinuerint nixus motusque maximos. Quis nescit, saepe terrore animi, perturbatione, levi nisu corporis has in robustis & exercitatis natas? Dudum est, quod scripsi in observationibus meis historiam, qua huc facit. Viro per publica incendi in declivitate pontis lubricitate via subducti pedes casum minitantur; ille tamen corporis agilitate lapsum evitat, nec alliditur stratis viarum, in ipso tamen hoc nixu frangitur illi patella*

(a) Advers. Anat. pag. V.

patella transversa absque ullo alliso. Commis-  
sus ille cura famosissimi Chirurgi, qui in pago  
Fisp dicto artem summa cum fama ea tempesta-  
te colebat, nihil adjuventi accepit. Quod ta-  
men haud contigit culpa adeo boni magistri,  
sed fragmenta patella fracta saepe non coeunt  
iterum, quia unita haud possunt retineri tam  
diu, donec coaluerunt: saepe & impeditur hac  
concretio inde, quoniam vasa fragmentorum  
quandoque non satis suppeditant materiam os-  
sibus adunandis propriam. Enimvero homi-  
nes vidi, quibus fracti ossis frustra omni ar-  
te rite tractata, tamen nunquam con-  
crescebant horum humeris brachiisve circum-  
ducti &c. applicati tubi ex bractea ferri mul-  
tum prestabant commodi, partes in suo situ sa-  
tis commode ita retinebantur, ut motus requi-  
sitos exercere utcunque possent. Singulare etiam  
fragilitatis ossium specimen praebet historia den-  
tis gelasini jactu ossiculi corasini fissi, quæ in  
*Ephemeridibus Societatis Nat. Cur.* (a) legi-  
tur. Nuper quoque contigit hic Brunsvigæ, ut  
fœminæ cuidam inter saltandum a saltatore so-  
cio

---

(a) Cent. V. Obs. XXXVII.

cio, cum eandem ab imminente lapsu prohibere vellet, levi opera humeri os fuerit contractum. Sive vero hæc sive alia qualiscunque causa tam gravi malo dederit occasionem, tamen nemini facile dubium fore existimo, eandem fracturam maximo cum periculo fuisse conjunctam, & quasi necessario optimum Principem in summum vitæ discrimen induxisse. Nam non solum veteres pericula a læsionibus articuli in genu metuenda, luculenter exposuerunt, dicentes, perfossis cavitatibus ad latera patellæ occurrentibus, lubrica materia (a) repletis, *ceu jugulo spiritum fugero*, (b) verum etiam recentiores chirurgi, quamvis ars interea temporis mirum in modum incrementa sumserit, tamen in eo plane cum veteribus consentire tenentur. (c) Oportet interim medico, ad faciendam Serenissimo Duci medicinam ex Academia Julia evocato, *Joanni Wolfio*, (de quo videatur *Boehmerus in prolusionibus de vitis Professorum medici*

(a) Ruysch advers. anat. Decad. II. pag. 17.

(b) Plin. Histor. nat. l. XI. c. XLV.

(c) Conf. Petitum de morbis ossium Part. II. cap. XII. pag. 140. edit. Berolin.



*medici ordinis* pag. 25.) valde motam fuisse  
 ea de re controversiam, ut apparet ex Epistola  
 ejusdem ad modo memoratum *Proavum* me-  
 um mense Majo anni MDCXXV. exarata, &  
 in ea sequentia verba leguntur : „Nihil  
 „malim, quam ad Academiam ut redire possim,  
 „ita tædet me, & quidem defuncto optimo  
 „meo Principe, hujus loci ubi interea temporis  
 „colluctandum mihi fuit cum injuriis & ca-  
 „lumniis, quæ omnia tamen ego flocci qui-  
 „dem facio, si bona sum conscientia commu-  
 „nitus, imo ridere soleo, cum primis inepti,  
 „indocti & imperiti velint obstrepere. Et est  
 „certe hoc fatum sive miseria potius nostræ arti  
 „propria, ut, si quid parum recte aut feliciter  
 „cedat, statim vapulent medici & assignetur ar-  
 „ti, quod affectus conditioni & mali vehemē-  
 „mentia tribui debebat, ac si ars curare de-  
 „beat ac possit, quod a natura impetrari ne-  
 „quaquam potest, imo simpliciter est *ἀδύνατος*,  
 „cum medicus non sit nisi illius minister. At-  
 „que ita rem se habuisse in Illustrissimo nostro  
 „Principe, tam manifestum dedi, ut non du-  
 „bitem, omnes doctos & intelligentes medicos  
 „in meam sententiam ituros. Atque certe  
 hoc

„hoc equidem jam dudum fecissem, nisi quæ-  
 „dam remoræ mihi obstitissent, quæ editio-  
 „nem historiæ illius retardarunt. Constitui  
 „autem jam demum & habeo causas non par-  
 „vi momenti, quæ mihi id imperant, ut il-  
 „lam tandem procurem. Quodsi fieri potest,  
 „ut istum discursum describendum a quopiam  
 „impetrem, illius Te participem certe faciam;  
 „saltem hac vice Tibi, mi amice, aliisque con-  
 „siderandum relinquo, quod si os femoris  
 „paulo supra articulationem, qua ossi tibiæ  
 „infitur, perfractum sit, & deinde etiam illa  
 „duo capita inferiora ita diffissa & abrupta, ut  
 „alterum quoque luxationem fecerit, locoque  
 „plane motum fuerit, an ista ossicula ita arcte  
 „rursus colligari, & in articulo sive loco mo-  
 „tioni destinato tam studiose & exacte conser-  
 „vari possint, ne a se invicem iterum abeant,  
 „sed in motu ibi interventu calli conferru-  
 „minari queant, præsertim in tam longo de-  
 „cubitu, in tanta & quotidiana sæpe ossium di-  
 „versimode fractorum tractatione, quandoqui-  
 „dem nulla est partium, quæ minus hisce tu-  
 „berculis, etiamsi quam rectissime fines eorum  
 „cooptati fuerint, in ipso articulo tam immota  
 tam

„tam diu jacere possit. b Quod si fracturæ,  
 „secundum commune Chirurgorum effatum,  
 „tanto sunt periculosiores, quanto sunt arti-  
 „culis viciniore, puta magnorum istorum os-  
 „sium, quid dicemus, si iis accedat & alia  
 „fractura in ipso articulo.

Hæc vero licet gravissime disputata sint  
 a Viro doctissimo, tamen mirum, quanto me-  
 lius causam suam tueri potuisset, si stupendus  
 vaforum sanguiferorum per membranas articu-  
 lorum & specialiter per hunc articulum reptat-  
 us, qualis demonstrante celeberrimo *Ruy-  
 schio* (a) nostro tempore innotuit, ipsi cogni-  
 tus fuisset atque perspectus. Sed missa hu-  
 jus fracturæ enarratione transitum nunc faci-

am ad alterum non minus memorabilem ca-  
 sum, vulnus nempe illud occipitis, quo in ob-  
 sidione *Philipsburgensi* accepto Serenissimus  
 Princeps AVGVSTVS FRIDERICVS *Spiræ*  
 nunquam fatis dolendo fato diem supremum  
 Anno

Observ.  
 II. vul-  
 nus occi-  
 pitis Se-  
 reniff.  
 Principis  
 Augusti  
 Friderici

(a) Conf. ejusd. *Theaur. Anat.* VII. Tab. III. fig.  
 I. & *Adversar. Anat.* Dec. II. pag. III. seqv.  
 atque Tab. I. annexæ fig. I.

Anno MDCLXXVI. d. 22, Aug. obiit. Lu-  
 culenter vero istius vulneris non minus con-  
 ditionem quam supervenientia symptomata in-  
 digitat ipsa relatio Medicorum atque Chirur-  
 gorum, qui *Spiræ* Serenissimo Principi medi-  
 cas manus, quamvis frustra, attulerunt, quam  
 integram hic inserere animus est, sequentibus  
 verbis conceptam. „Serenissimus Dux, ex-  
 „cubias in obsidione Philipsburgensi agens,  
 „glande ex catapultâ emisso in occipitali osse  
 „impetitus in latus concidit exanimis, illicque  
 „jacens horæ spatio, & sese tandem recoli-  
 „gens cum ejulatu non mediocri mentis com-  
 „pos evasit. Primo quoque tempore admi-  
 „nistrata sunt illi subsidia, quæ per locum li-  
 „cerent. Mox inde deductus Spiram no-  
 „stram & celeberrimorum Chirurgorum ope-  
 „ram adhibuit. Omnem excussimus indu-  
 „striam, ut innotesceret, quænam fauciata  
 „parti inusta foret injuria. Vulnere diducto  
 „observavimus primæ tabulæ cranii ingentem  
 „fracturam, quæ in duas partes divisa literæ  
 „græcæ Lamda ideam referret. Inquisivimus  
 „in omnia symptomata, quæ nobis indicarent,  
 „utrum ista effractio ad secundam tabulam  
 perrepta.

„perreptaret, neque vomitu neque marmarigis  
 „oculis observantibus, neque sanguinis per  
 „nares, os, aures effluxu, ut ne vel quidem  
 „cephalalgia, vel oculorum rubore conjectura  
 „potuimus assequi, quidnam in interioribus  
 „ageretur. Studuimus interim coercendo  
 „raptui sanguinis, vel ad partem affectam, vel  
 „ad hepar, vel ad pulmones, in quibus abs-  
 „cessus fieri amant in capitis tromate. Ideo-  
 „que non semel repetita epaphæresi & aliis ad-  
 „ministratis præfidiis, quæ compescendo hu-  
 „morum orgasmo & gargalismo suam dica-  
 „runt operam, bene actum cum Serenissimo  
 „nostro decumbente videbatur, cum transacto  
 „quinto die a vulnere inflictio suborta est febris  
 „hæmitritæi naturam redolens, quæ a pleone-  
 „xia humorum in vasis contentorum periodum  
 „binam quolibet die causam duceret & exor-  
 „dium, & sudore luculento desæviret, non  
 „intermitteret & continuitatem ab inflamma-  
 „tione aliqua interna mutuaretur, ut nos plu-  
 „ries observavimus. Collatis igitur senten-  
 „tiis, re excussa, modiolò caput aperuimus,  
 „secunda cranii lamina e diploe discissa appa-  
 „ruit piæ matri iaceræ infixæ, fragmentum il-  
 C 2 lud

„Iud extractum est, mox & alia duo hinc in-  
 „de, ut ita dicam, incuneata, debuisseque  
 „inde natura levata ea sarcina, qua premeba-  
 „batur, recreari, veruntamen febris invaluit  
 „cum acerbissimo hypochondrii dextri & pe-  
 „ctoris cruciatu. Pugnatum est omni arte  
 „in tot & tam graves angores, sed perperam  
 „omnia in pejus ruere, demumque tot exant-  
 „latis laboribus occubuit Dux Serenissimus  
 „XIII. morbi die. Res ad extispicium de-  
 „ducta est, ut cadaver ad condituram parare-  
 „tur, abdomen apertum, subductisque com-  
 „munibus illius integumentis, exeruerunt se  
 „nobis omnia intestina, flatu in omnes di-  
 „mensiones extensa ab ardore febrili cruda, quæ-  
 „libet subigente & subagitante. Hepar præ-  
 „grande admodum pro corporis mole, vici-  
 „nis partibus fortiter annexum, novem absces-  
 „sibus pure putidissimo infarctis exaratum, cæ-  
 „teræ partes vix a naturæ legibus deflectentes.  
 „Reserata sunt pectoris paulo angustioris pe-  
 „netralia, mirati sumus lobi dextri cum costis  
 „omnimodum adhæsum, sinistri diaphoram  
 „& puris ingentissimam in eo collectionem, su-  
 „perstite cordis *επτορία*. Serra nobis exporrecta  
 est

„est pars primario affecta, effractionem cranii  
 „animadvertimus, fere in os petraeum duabus  
 „stimulis expansam, tabulae interioris particu-  
 „lam vi globuli in duram meningem adeo ad-  
 „actam, ut nulla ferme vi inde valuerit educi,  
 „duram matrem & viciniores cerebri partes in  
 „gangranosum actas vidimus, & effusum ei  
 „concussione violenta sanguinem in ipsissima  
 „cerebri substantia in pus foetidissimum con-  
 „versum. Atque ita mors sceptraligonibus  
 „æquavit. Actum Spiræ, III. Septembris  
 „MDCLXXVI.

Erbenius, Medicus  
 Cæsareus.

Valette, Primarius Du-  
 cis Lotharingæ Me-  
 dicus.

Wilhelmus Sattler,  
 Principis Badensis  
 Medicus.

E. Sellier, Chirurgus  
 Lotharingæ Ducis.

Orfort, Chirurgien Major des  
 Regimens de Grane,



Confirmat vero adducta de extremis Serenissimi Principis relatio, quod rectissime de vulneribus capitis sentiant medici, quando dicunt, quod omnia & singula capitis vulnera ancipitis sint eventus. Sanari interdum gravissimas capitis læsiones, mediocres vero & leviores quandoquidem insperato ægrum jugulare. Neque vero minus confirmatur gravissimum Hippocratis monitum, (a) dicentis: „Quod in omnibus memorabilibus capitis vulneribus interrogare oporteat, an conciderit „homo, aut an in soporem altiorem collapsus sit, si enim horum quippiam acciderit, „ampliore custodia opus esse, nimirum cum cerebrum vulnus tunc perceperit. Et profecto hujus gravissimi moniti intuitu, dubio omni procul multo melius de Serenissimo Duce actum fuisset, si in tempore modiolus fuisset adhibitus, cum ex sententia celeberrimorum juxta ac doctissimorum medicorum (b) semper tutissimum

(a) Prædict. II. §. XXII.

(b) Vid. Bohn. ad calcem dissertat. de Trepanat. difficultatibus, nec non Marchettis, Observ. XIV. pag. 30.





mum consultissimumque sit, licet etiam frustra foret, ut locus percussus trepano quantocies aperiat. Denique annotatu quoque dignissima est ex hac relatione puris in hepate atque Pulmone post hanc capitis læsionem collectio, quæ hepatis (ut de pulmone nunc nil dicam) in capitis vulneribus sympathia non solum ab autorum admiratione, ut *Bianchus* (a) loquitur, a *Paræo*, (b) *Ballonio*, (c) *Schenckio*, (d) *Pigrao*, (e) *Stadtlendero*, (f) *Jobo a Meckren*, (g) *Welschjo*, (h) *Wolfjo*, (i) *Stege-*

---

(a) *Historiæ Hepaticæ Part. II. cap. V. §. V. pag. 147.*

(b) *Lib. X. cap. VIII. & lib. XVI. cap. XCIV.*

(c) *De convuls. pag. 50.*

(d) *Exercit. Anat. pag. 177.*

(e) *Lib. IV. cap. VIII. pag. 364. & cap. IX. pag. 377.*

(f) *Miscellan. Naturæ Curios. D. I. Ann. II. Obs. CXIX. pag. 197.*

(g) *Observat. II.*

(h) *Observ. Epifag. Obs. LVI.*

(i) *Observat. III. pag. 30.*

*Stegelio*, (a) *Creaurmio*, (b) *Binosquio*, (c) *Charierio*, (d) *Biancho*, (e) *Reina* (f) fuit annotata, sed etiam mirum in modum eruditorum ingenia torisit, aliis semper etiam atque aliam transitus puris ad hepar rationem sibi concipientibus. Certe *Bianchus*, recentissimus scriptor, si non veram, tamen ingeniosam, nobis ea de re proponit sententiam, scribendo: (g) *Si in tantis autorum Synodiis suum & offerre Symbolum liceret, dicerem, sat iustum esse, quod data imbitione succi purulenti a sanguine in parte aliqua determinata, ut in capite, vagans inde commune hoc fluidum per corporis partes omnes, majores puris hujusmodi portiones despumet in viscere*

- 
- (a) Bianchi Histor. Hepat. Part. II. cap. V. §. V. pag. 197.  
 (b) Idem l. c.  
 (c) Idem l. a.  
 (d) Idem l. a.  
 (e) l. a.  
 (f) lb. Part. III pag. 360.  
 (g) Historiæ Hepaticæ Part. II, cap. V. §. V. pag. 147.

viscere omnium maximo omnibusque consi-  
derabiliori, uti hepar est, in quo longe ma-  
jora, quam in aliis omnibus, apponuntur va-  
sa, longeque majores, quam in aliis parti-  
bus, eorundem diramationes, in quo lentior,  
quam in aliis omnibus, succorum omnium est  
cursus, in quo viscidius, quam in aliis omni-  
bus, secernitur liquidum, quod ideo ob sym-  
boleitatem texture purulentam secum materi-  
am allicere a sanguine potest, in quo denique  
nulla jacet ab extrinseco muscularis potentia,  
qua depositam congestamque purulentiam re-  
pellat ad fluxum.

Sed cum, observante Pe-  
tro de Marchettis, (a) abcessus tales æque  
generentur in pectoris partibus, quam in jeci-  
nore, prout etiam in nostro casu fuit factum,  
profecto propemodum omnes a doctissimo  
autore allegatæ rationes sponte sua evanescent,  
ut taceam, quod etiam cum grano salis acci-  
piendum sit illud clarissimi viri assertum; quod  
nulla adsit in hepate muscularis potentia, cum  
intrinsece capsula Glissoniana eodem officio  
fungatur, extrinsece vero diaphragma muscu-  
larem

D

(a) Observ. Medic. Chir. Obs. XV. p. 35.

larem potentiam satis superque in hepar exerceat. Et satius igitur erit, habita prius ratione arctissimi commercii superiorum atque inferiorum partium, nervorum intercostalium ope, præeunte *Wolfio* (a) ita sentire generaliter, quod in tali casu a sanguinis febrili exandescencia viscera, quæ copiosus sanguis alluit, facile in ejusmodi perniciem ruant. Sed quid amplius opus erit ætiologicis immorari speculationibus, cum observationum veritas satis superque stabilita sit, & hinc potius ad tertium histori-

Obs. III.  
subita-  
nea mors  
Serenis-  
simi Du-  
cis Jo-  
hannis  
Friderici

co medicum casum, subitanam nempe mortem Serenissimi Ducis, JOHANNIS FRIDERICI, Ducis Brunsv. & Lüneburgensis, *Augustæ Vindelicorum* ultimis diebus anni MDCLXXIV. contingentem, me converto. Causam equidem repentinæ illius calamitatis commemorat Reverendus *Rehtmeierus* noster in doctissimo Chronico Brunsvigo Lüneburgensi (b) his verbis : **Als Sr. Durchl. zu Augsbürg angelanget / haben sie drey Tage**

(a) l. a.

(b) Tom. III. Cap. LXXXIX. pag. 1716.

Zage nach ihrer Anfunfft den 28. No-  
 vembr. eine geringe Schütterung emp-  
 pfunden / darauf den 29. grosse Ver-  
 stopfung des Leibes erfolget. Ob nun  
 gleich nach Gebrauch der gewöhnlichen  
 Arkney-Mittel selbige gehoben / und Er-  
 Durchl. sich den folgenden Tag besser be-  
 funden / so ist doch die Verstopfung bald  
 wieder kommen / den 14. aber ist Schmer-  
 ken der Arme und Füße / starcker Durst  
 und Trockniß des Mundes / samt schwe-  
 rer Zunge dazu geschlagen / der Puls a-  
 ber und alles andere war natürlich / und  
 annoch den 17. nicht die geringste Anzei-  
 gung einiger Malignität oder Gefährlich-  
 keit zu spühren gewesen / sondern es haben  
 vielmehr die Medicamenta also gewircket/  
 daß man dafür halten müssen / es sey die  
 Natur noch starck und ihr wohl zuhülffe zu  
 kommen. Sie haben auch selbigen A-  
 D 2 bend

bend um 7. Uhr mit ziemlichen Appetit  
 gessen / auch eine Stunde hernach sich zur  
 Ruhe begeben / aber selbige Nacht unruhig  
 zugebracht / in einem schwerem Schlass  
 gelegen / und sich hin und wieder geworfe-  
 fen / um 12. Uhr erwachet und etwas phan-  
 tasiret / gleich aber wieder zu sich selbst  
 kommen / darauf sich wieder zur Ruhe  
 begeben / und einen schweren Schlass ge-  
 habt / welcher getwehret biß zwischen 3.  
 und 4. Uhr / da sie aufgestanden und ge-  
 klaget / daß die Arme sehr schwer wären /  
 hernach sich wieder geleget / im Schlass  
 kommen / und wie zuvor / schwerlich respi-  
 riret / aber endlich gantz stille worden /  
 welches als es eine zeitlang gewähret / und  
 den Cammer-Diener verdächtigt vorkom-  
 men / haben sie sich mit einem Lichte ge-  
 nähert / und mit höchster Bestürkung  
 befunden / daß Leben und Bewegung da-  
 hin

hin gewesen / und also Sr. Durchl. zu  
 Augsburg dem XIX. Dec. Styl. Vet. Anno  
 MDCLXXIV. Morgens zwischen 6. und 7.  
 Uhr im LV. Jahr ihres Alters ohne eini-  
 ge Stimme und ungestalte Geberde sanfft  
 und seelig verschieden / nachdem sie die  
 Fürstenthümer Calenberg und Grubenha-  
 gen und das Land Göttingen XIV. Jahr  
 löblich regieret / darauf der Körper des  
 andern Tages balsamiret / und aus der  
 rechten Herzkammer ein lang und schmal  
 Stück Fleisch / von den Medicis Polypus Cordis  
 genant / gezogen worden / welches ver-  
 mühtlich angewachsen gewesen / endlich  
 sich abgelöset / und die in die Länge gehen-  
 de Schlag - Ader verstopfet / daher / der  
 Medicorum Meynung nach / der Umgang  
 des Blutes und Bewegung des Herzens  
 mit den Leben aufhören müssen. Neque  
 minus eloquenter illius mentionem facit cele-  
 berrimus *Meibomius* in oratione divæ memoriæ

hujus Principis dicta, quando inquit : *Et illud quidem Italicum iter omnes cives Tuos præfago quodam horrore perculit, ultimum te jam vidisse sibi persuadentibus. Id quod factum quoque proh dolor! est. Excepit Te blata ocellus Germania Augusta, nominis Tui urbs, sed inopina morte, beatissima licet, interire brevi vidit, sive concreta in corde ipso ex viscida & glutinosa materia Polypiformis massa itus reductusque sanguini obstruendo, eam acceleravit, sive alia fuit in corpore latens & occulta & ab oculis nostris remota causa. Sed quemadmodum*

Dulcius ex ipso fonte bibuntur aquæ:

ita quoque hic apponam judicium celeberrimorum Dominorum Medicorum *Augustanorum*, prudenter admodum in tanto casu a *Brandano Theodoro Konerdingio*, Medico, Serenissimum Ducem in itinere comitanti, ad extispicium convocatorum, præsertim cum in illo scripto paulo exhibeatur accuratius fatalium illorum concrementorum historia, & quidem sequentibus:

Ex



„Ex accurata Serenissimi ac Celsissimi Prin-  
 „cipis & Domini, Domini JOHANNIS FRI-  
 „DERICI, Brunsvicensium & Lüneburgensium  
 „Ducis &c. &c. heri in præsentia nostra, ut &  
 „Nobilissimi atque Excellentissimi D. D. *Bran-*  
 „*dani Augusti Konerdingii*, Serenissimi Defun-  
 „cti Medici Aulici, atque præstantissimi Do-  
 „mini *Johannis Caroli Rham*, solertem & ex-  
 „peditam commodante manum Cl. Domino  
 „*Samuele la Rosa*, Chirurgo Aulico bene  
 „merito, facta cadaveris sectione abunde patuit,  
 „nullam in beatissimo Principe malignitatem  
 „mortis inopinatæ fuisse causam, cujus adeo  
 „neque ante beatam analysin neque in subse-  
 „quuta diligenti inquisitione corporis ullum ap-  
 „paruit indicium. Cum potius tam repen-  
 „tini obitus veram occasionem in ipso visce-  
 „rum nobilissimo corde; flaccida admodum  
 „substantia prædito, deprehenderimus, in cu-  
 „jus nempe sinistro ventriculo carnosum quasi  
 „quoddam corpus, spithanam longitudine  
 „multum superans, invenimus, quod poly-  
 „pum cordis vocare solent, qualem non minus  
 „dexter cordis thalamus, sed intus albidio-  
 „rem & quasi adiposum una cum sanguine grumo-

10

„so exhibuit, uterque compactione sua sub-  
 „stantia non momentaneam sed diuturniorem  
 „sui generationem innuens; quem nos Medi-  
 „ci, expansis radicibus suis, carnosis in corde  
 „fibris inhæsisse, ac tandem validiore motu  
 „cordis & sanguinis effervescentis plane in de-  
 „xtro ventriculo liberatum, & ad principium  
 „arteriæ pulmonalis sive, ut aliis vocatur, ve-  
 „næ arteriosæ protrusum, illud obstruxisse, sic-  
 „que sanguinis motum omni modo impeditis-  
 „se, spiritusque vitales simul & ipsam vitam  
 „suffocasse judicamus. ○ A qua suffocatione  
 „colorem quoque luridum, quem præ se fe-  
 „rebant, pulmones contraxisse, videtur vero  
 „simile, reliquis visceribus in satis laudabili sta-  
 „tu constitutis. ○ Quamvis enim ventriculus,  
 „præsertim qua hepar respiciebat, ipsumque  
 „hepar cava præcipue in parte, lurido & fere  
 „nigricante colore oculos primo perstrinxerint,  
 „superficiarium tamen hunc tantum fuisse, ipsa  
 „dissectio deinde edocuit, quem ideo a bilis, sua  
 „copia vesiculam distendentis, communicatio-  
 „ne derivare æquum duximus. Ipse etiam  
 „ventriculus, flatibus quidem præsentiam suam  
 „olim sapius in Serenissimo Duce per rugitus  
 atte-



attestantibus, admodum distentus, floridus  
tamen totus, firmus rugisque naturalibus in-  
structus comparuit. Quæ omnia majore  
rem in fidem propria manu subscribere atque  
sigillis confirmare voluimus. Augustæ Vin-  
delicorum, d. XXX. Decembris, Anno  
MDCLXXIX.

(L.S.) *Lucas Schröcki-  
us*, D. Physicus ac  
Coll. med. Aug. h.  
t. Decanus atque Se-  
nior.

(L.S.) *Georgius Durr*,  
D. Reip. Aug. Phys.  
Vicar. & Officina-  
rum Pharmaceutica-  
rum Visitator.

(L.S.) *Lucas Schröcki-  
us*, Luc. Fil. M.  
D. Reip. Aug. Phys.  
S. R. J. Academiae  
Naturæ Cur. nec  
non Ital. Recupera-  
tor. Colleg.

(L.S.) *Melchior Blanck-  
furt*, Barbier und  
Stadt-Wundarzt.

Simili' autem genere mortis, nempe suffocatione a Polypo, AVGVSTVM quoque *Seniorem Cellis* d. l. Octobr. Anni MDCXXXVI. obiisse, si non extispicium monstravit, profecto circumstantiæ nonnullæ, a *Proavo* meo in diario suo notata, luculenter docent. Annotavit enim, Reverendissimum atque Celsissimum hunc suum Dominum melancholia hypochondriaca olim tentatum, sensim in dyspnoeam cum oedematoso pedum tumore incidisse, & cum hora IX. ejusdem diei vestibus ad medietatem indutus surgeret ad manuum lavationem, subito intercepta respiratione in Domino obdormiisse, quæ certe symptomata nec non talis analysis iis, qui polypo cordis laborant, familiaris esse solet, ut plurimis possem comprobare exemplis, nisi protracto jam ultra justam mensuram narrationis meæ filo ad finem properandum esset. Hinc etiam plura hac occasione de polypis cordis non addo, præsertim cum alibi mentem quoque meam & observata fusius de iisdem exposuerim. (a)

Hoc

---

(a) Annał. Wrat Slav. Ann. MDCCXXII. Mens. April.

Hoc autem mihi adhuc superest negotii, ut Te exorem, ne dedigneris hanc, qualem ingenii tenuitas concessit, grati animi tesseram æqui atque boni consulere, & simul pro Tua incolumitate vota faciam.

Servet Te Deus T. O. M. usque ad remotissimam humano generi concessam annorum metam in perpetuo corporis animique vigore, id quod tanto ardentius voveo, atque simul tanto confidentius Tibi ominor, quo majori hactenus Familiæ fuisti ornamento, & quo pauciores ex bene multis Familiæ nostræ optime meritis viris istud vitæ perfecerunt curriculum, quo Te jam sexagenario sex annis majorem non sine magno nostro gaudio in optima atque illabefactata valetudine videmus esse defunctum. Dabam Brunsvigæ, d. X.


Novembr. Anni MDCCXXV.

---

April. Cl. IV. Artic. VI. pag. 390. & Ann. MDCCXXIII. Mens. Januar. Class. IV. Artic. VII. pag. 83. & Mens. Mart. Cl. IV. Artic. VIII. pag. 310.









Handwritten blue ink scribbles and a purple circular stamp.

Handwritten blue ink numbers: V 077 and V 048


Liber  
Bibliothecæ Academicæ Halensi  
a  
CHRISTOPH. ERNEST. CONONE,  
Med. Doct. & Practico  
Berolinensi,  
TESTAMENTO DONATVS.  
1729.


Handwritten blue ink number: 56



Handwritten blue ink numbers: 75a 6069







5  
RVDOLPH. AVGVST. BEHRENS  
MED. DOCT. SOCIET. LEOPOLDINO-  
CAROLINAE NATVRAE CVRIOS. COLLEGAE  
ET PHYS. BRVNSV.

AD  
VIRVM PRAENOBILISSIMVM EXCELLENTISSIMVM  
ATQVE EXPERIENTISSIMVM  
CONR. BARTHOLDVM  
BEHRENS

PHILOS. ET MED. D. AVGVSTISSIMI MAGNAE  
BRITANNIAE REGIS ARCHIATRV M CELEBERRIMVM, IL-  
LVSTRIS SOCIETATIS LEOPOLDINO-CAROLINAE NATVRAE  
CVRIOS. ET REGIAE SCIENTIARVM BEROLINENSIS COLLE-  
GAM MERITISSIMVM, ET PRACTICVM HILDESI-  
ENSEM FAMIGERATISSIMVM

GRATIARVM ACTORIA EPISTOLA  
QVA  
TRIGAM  
CASVVM MEMORABILIVM  
HISTORICO MEDICORVM  
SIMVL EXPONIT.

4  
*Wolfenbüttele*  
APVD JO. CHRIST. MEISNERVM  
M D C C X X V I I.

